

causa est copia sicce exhalationis ad supremam vsq; aeris regionē sublata: bellorum, mutationis imperiorū, interitus vrbium & Principum, causæ longè aliæ sunt: quod nescire nullus potest. Exhalatio, quæ Cometis alimētum & materiam præbet, à calore tum siderum tum in terræ visceribus incluso generatur, atq; in altum & sponte sua fertur, & à calore siderum attrahitur. Quæ si bellū creare debet, mille alias causas accidentales cum ea concurrere oportet.

Ergo cū Cometæ neq; causæ sint bellorum, interitus Principum, excidiū vrbium aut gentium, aliarūq; rerum talium, neq; effectiones, neq; ab eadē causa tū Cometæ, tum prædicta manarint vnquā, impossibile est, vt talium rerū signa naturalia esse atq; dici possint. Quicquid eū naturaliter rem aliquam significat, id necessariō est, vel causa eiusdem illius rei quam significat, vel effectus, vel eandē & cōmunem causam habent signum & signatum. Quarta connexio, qua res aliqua naturaliter à se aliud significare possit, nō datur. Auster, exēpli gratia, spirare incipiēs signū est secuturæ pluuię, quia causa eius est. Fumus signū est ignis, quia ab igne producitur. Iris vesperi appa- res signū est serenitatis, quia causa, quę facit vt Iris vesperi appareat, eadem serenitatem quoq; efficit.

Quid ergo? (inquit fortasse aliquis) an Cometa rei nullius naturalis causa est vel effectus? Non inficior Cometæ signa esse naturalia certarū rerum, sed nuper dictarum signa naturalia esse nego, adeoq; pernego: et diuersum nullis argumētis probari posse incunctāter affirmo. Vt aut, quid significare naturaliter possint, perspiciatur, cōsideranda est eorum natura. Sic em̄ intelligemus aerē, dum Cometę fulgent, siccis halitib. plenū esse. Equidem Cometa non ex pauca expiratione, sicut alia quædam ignita meteora, nascitur. Quanto maiores, diuturniores & splendidiores apparent, tanto plures halitus & densiores in aere contineri oportet. Verisimile quoq; est, infernè subinde alios ascendere, & accensam flammam